



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De euitatione curiosæ inquisitionis, super alterius vita. XXIV

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

etiam desuper, perfunde cor meum rore caelesti, ministra deuotionis aquas, ad irrigandum faciem terræ, ad producendum fructum bonum & optimum. Eleua mentem pressam mole peccatorum, & ad caelestia totum desiderium meum suspende: vt gustata suauitate supernæ felicitatis, pigeat de terrenis cogitare. *Psalms. 42.*

6. Rape me, & eripe ab omni creaturarum indurabili consolatione, quia nulla res creata appetitum meum valet plenarie quietare & consolari. Iunge me tibi inseparabili dilectionis vinculo, quoniam tu solus sufficis amanti, & absque te friuola sunt vniuersa.

CAPVT XXIV.

De emitatione curiosa inquisitionis, super alterius vita.

1. **F**ili, noli esse curiosus, nec vacuas gerere sollicitudines. *a Eccli. 3.*
et 1. Tim. 5.
b Ioan. 21.
c Gal. 9.
 Quid hoc vel illud ad te? tu me sequere. *b* Quid enim ad te, vtrum ille sit talis vel talis: aut iste sic & sic agit, vel loquitur?
c Tu non indiges respondere pro alijs, sed pro teipso rationem reddes. Quid ergo te implicat? Ecce, ego omnes cognosco, & cuncta quæ sub sole fiunt, video & scio, qualiter cum vnoquoque sit, quid cogitet, quid velit, & ad quem finem tendat eius intentio. Mihi igitur omnia committenda sunt, tu vero serua te in bona pace, & dimitte agitantem agitare quantum voluerit. Veniet super eum, quicquid fecerit vel dixerit, quia me fallere non potest.

2. Non sit tibi curæ de magni nominis umbra, non de multorum familiaritate, nec de priuata hominum dilectione. Ista enim generant distractiones, & magnas in corde obscuritates. Libenter loquerer tibi verbum meum, & abscondita reuelarem, si aduentum meum diligenter obseruares, & ostium cordis mei aperires. Esto prouidus, & vigila in orationibus, & humilia te in omnibus.

CAPVT XXV.

In quibus firma pax cordis & verus profectus consistit.

1. **F**ili, ego loquutus sum: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* *Ioan. 14.* Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant. Pax mea cum humilibus & mansuetis corde. Pax tua erit in multa patientia. Si me audieris, & vocem meam sequutus fueris, poteris multa pace frui. Quid igitur faciam, In omni re attende tibi, quid facias, & quid dicas: & omnem intentionem tuam ad hoc dirige, vt mihi soli placeas & extra me nihil cupias vel queas. Sed & de aliorum dictis vel factis nil temere iudices, nec cum

B b

rebus